# HOMILIA
SANCTISS. DOMINI NOSTRI
# CLEMENTIS XI.
## PONT. MAX.
*HABITA*
IN FESTO SANCTORUM
## PETRI, ET PAULI
APOSTOLORUM
*INTER MISSARUM SOLEMNIA*
In Sacroſancta Baſilica Vaticana
*ANNO DOMINI MDCCII.*





FLORENTIÆ, MDCCIII.
TYPIS REGIÆ CELSITUDINIS
Apud Petrum Antonium Brigonci.
*Superiorum Permiſſu.*





Edit iterum dies gemini ſyderis illuſtrata fulgoribus, hoc eſt, Petri Apoſtolorum Principis, Pauli Doctoris Gentium triumphali clara martyrio. Audiſtis nomina, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, audiſtis nomina; ſatis intellexiſtis encomia. Quis etenim Petri nomine audito, non ſtatim firmiſſimæ illius Petræ reminiſcitur, ſupra quam æterni Patris Filius Eccleſiam, quam ſuo ipſe ſanguine comparaverat, ita conſurgere voluit, ut portæ Inferi adverſus eam prævalere non poſſent? Quis itidem Pauli memorato nomine, non ſecum animo reputat inſigne illud vas electionis, ſublimioribus divinæ Gratiæ muneribus à Domino repletum, ut portaret nomen ejus coram

ram Gentibus, & Regibus, ac Filiis Iſraël? PETRUM diximus: Apoſtolorum apicem, Catholicæ Fidei firmamentum, interpretem Divinitatis, ſupremum Theologorum faſtigium, aſſertorem gratiæ, deſtructorem Synagogæ, cœleſtis Regni Clavigerum diximus. PAULUM diximus: Magiſtrum nationum, Evangelii Præconem, immobilem Eccleſiæ columnam, fulgidiſſimum Chriſtianæ Legis lumen, felicem Cœli Hoſpitem, intimum arcanorum Dei ſcrutatorem diximus. PETRUM diximus; id ſatis ad laudem. PAULUM diximus; prædicavimus ſatis. Quod tamen Dilectiſſimi, Apoſtolorum laudibus demimus, addamus precibus; noſtriſque calamitatibus eruditi, encomiis vota ſubrogemus. Splendidioribus idcirco nominibus, quibus glorioſos Apoſtolici Ordinis Principes Sanctiſſimi Majores noſtri certatim coluerunt, ac celebrarunt, prætermiſſis, juvat illos non alio nunc, quam ſuavi Patrum, ac Patronorum noſtrorum

no-

nomine, inter gravissimas, quibus circumquaque premimur, ærumnas, advocare. Adeste igitur Urbis nostræ, quam tam eximie dilexistis, quam verbo edocuistis, quam exemplo sanctificastis, quam sanguine consecrastis, Parentes optimi, Patroni amantissimi; adeste Gregi, adeste Pastori; ut vestris intervenientibus meritis, omnipotens illius dextera, quæ mari, ventisque imperat, quæque vestrûm alterum gradientem in fluctibus, ne mergeretur erexit, alterum tertio naufragantem de profundo Pelagi liberavit, similiter glorificetur in nobis; quippe quæ efficere sola potest, ne tempestas demergat nos, qui venimus in altitudinem maris, ut divinæ vocis obsequeremur imperio. Potens est dextera illa suscitare de lapidibus Filios Abrahæ. Fecit illa de Saulo PAULUM, ac de Simone PETRUM, hoc est, de Christianæ gentis Persecutore Evangelicæ veritatis Prædicatorem, ac de humili Pis-

ca-

catore ſupremum humani generis Paſtorem. Illa igitur nos, licet in tanto rerum diſcrimine, quantum afflicta undique, ac luctuoſa Chriſtianæ Reipublicæ facies miſeris hiſce temporibus præſefert, conſtitutos, nullis ſinat perturbationibus concuti, quos in Apoſtolicæ Confeſſionis Petrâ ſolidavit.

